Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1391
Quelle:
Copyright:

exemplis *Marc. Capellam*, *Augustinum*, *Isidorum*, quin et *Bibliorum* et *Fl. Josephi* Versiones aequa lance admetiatur. Verbo *Luo* citat *Beatum Adelium in libro quem de Virginitate composuit. Aldhelmus* is est *Sbirburnensis* Episcopus a. 709. vivis exemtus. Verbo *Alo* comparet *Rabanus*, quo juniorem Scriptorem in pervolvendo hoc *Lexico* me reperire non memini; *Papiam* itaque, *Job. de Garlandia*, *Hugutionem*, *Job. Balbum Januens.* aetate praecedit. Si patriam petas, *Galliam* dicam; Verbo *Alo* enim legitur: *alietus. ti. auis que gallice uocatur artur*, repone *Astur* sive *Autour*. Et paullo infra: *Aluta. te. id est. pellis sutarii. que gallice dicitur corues*. Unde apud *Ducangium* in *Gloss.* habes *Corvesarios*. Alterius linguae Vestigia non deprehendi.

III. *fol.* 163. alia ejusd. Sec. manu: *Incipit prologus sancti bernardi abbatis clareuallis in libro de bono* (libero) *arbitrio. Domino W.* (illelmo) *abbati sancti teodorici* (frater) *bernardus. Opusculum de gratia et libero arbitrio quod illa qua scitis ratione* (occasione) *nuper aggressus sum. deo* (eadem gratia) *adiuuante peregi ut potui* &c. Initium ipsius: *Loquente me coram fratribus* (deest *fratribus* in edit. *Paris.* regia T. III. p. 118. 1642. f. quacum instituta collatio) *aliquando et dei in me gratiam commendante* &c. Opusculum integrum, sed minus emendatum.

IV. *fol.* 172. *Incipit liber S. Bernardi abbatis clareualis de precepto et dispensatione*. Praeit Epistola: *Domino Abbati columbensi frater bernardus abbas dictus de claraualle ualere in domino semper. Rescriptum meum ad epistolas duorum carnotencium quorundam monachorum* &c. Initium Libri seu Prologus: *Qua mente iam tacebo. Qua fronte tamen loquar* &c. Extat edit. *cit.* p. 163. Exemplar nostrum praecedente nihilo emendatius eademque manu exaratum.

V. *fol.* 189. manu Sec. XV. Indices in *Augustini* Libros *de Civitate Dei*, et quaedam Opera *Bernardi*.

VI. *fol.* 223. in charta, manu Sec. XV. Tractatus Physico geometricus *de Proportione Motuum* absque Autoris nomine, cujus initium: *Omnem motum successivum alteri in uelocitate et in tarditate proporcionari contingit* &c. Pertinet ad *Tractatum Proportionum* acutissimi *Thomae Bradwardini* Archiep. *Cantuar.* a. 1349. vivis exemti, qui post unam alteramque Sec. XV. editionem legitur in Collectione similium Opusculorum *Venetiis* 1505. f. impressa, in qua primas tenent *Bassani Politi Quaestio de Modalibus* et *Tract. Proportionum*. Excerptum nostrum ibi incipit *fol.* 10. §. 2. et abrumpitur in iis *fol.* 14. p. 2. verbis: *Iterum condensetur medium e contrario donec proportio b. ad istam* — —. Non possum silentio praeterire